

potestatis plenitudinem attinet, altera de successione Petri Romano pontifici iure diuino destinata. Nos utramque negare cogit ipsa necessitas ineuitabilis, nimirum quod neutra iure diuino sit instituta.

I. Quod attinet ad primam positionem de praerogatiua Petri: Quanquam hoc utcunque concedi posset, quod Petrus fuerit praecipuus inter apostolos et – ut 5
dici solet – tanquam os apostolorum atque primatum hoc nomine qualemcunque tandem habue-[115:]rit, tamen dicimus Petrum nullam habuisse potestatis personalem praerogatiuam vel sibi vel suis successoribus concessam, sed quicquid concessum est Petro, reliquis etiam apostolis et toti ecclesiae concessum est, ita ut nihil iuris acceperit Petrus prae reliquis discipulis, quando 10
Christus ei dixit: „Pasce oues meas“,¹⁷³ ex quo loco liber Interim primatum pontificis Romani probare conatur,¹⁷⁴ tametsi locus, qui est Matth. XVI de clauibus Petro promissis¹⁷⁵ – clauis sunt ecclesiae, licet usus clauium commendetur ministris –, ab aliis de eodem primatu citari solet, quem cum 15
dissimulet autor libri, nos breuiter ad locum Ioannis respondebimus. Primo, quod Christus nullam externam et politicam potestatem vel Petro dedit vel inter discipulos suos esse voluerit, manifestum est ex verbis eius Luc. XXII: „Reges gentium dominantur eorum“ etc. „vos autem non sic.“¹⁷⁶ Secundo, quod Petrus prae caeteris apostolis peculiare mandatum accepisset, quia 20
Christus cum eo singulare colloquium habuit dicens „Pasce oues meas“,¹⁷⁷ non potest defendi propter alios locos, in quibus Christus non Petro tantum, sed omnibus apostolis et per eos omnibus verbi diuini ministris usque ad finem mundi unum et idem mandatum dedit, ut Luc. ult. „Vos estis testes horum et ego mittam promissum Patris mei in vos“¹⁷⁸ etc. Marci ult: „Praedicate euangelium omni [116:] creaturae“,¹⁷⁹ hoc enim significat pascere oues Christi. 25
Joh. XX: „Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.“¹⁸⁰ Hi et similes loci conuincunt mandatam pascendi oues Christi non esse Petro peculiariter datum, sed ad omnes in genere pertinere, ut et Augustinus egregie super hunc locum Ioannis „Pasce oues meas“ admonet, cum lib. sermon. de verbo domini in Ioannem Serm. 62, 30
tom. 10 sic inquit: „Ergo fratres cum oboedientia audite oues vos esse Christi, quia et nos cum timore audimus: ‚Pasce oues meas.‘ Sic nos cum timore pascimus et timemus pro ouibus. Ipsae oues quomodo pro se debent timere?

¹⁷³ Joh 21,16f.

¹⁷⁴ Vgl. Augsburger Interim XIII, 71. 73. Nach altgläubiger Auffassung waren die Päpste Nachfolger des Apostels Petrus und verfügten daher über den Primat innerhalb der Kirche und hatten die höchste Jurisdiktionsgewalt inne. Begründet wurde dieser Papstprimat vor allem mit Mt 16,16–19; 28,10; Lk 22,31f und Joh 21,15–19. Vgl. Georg Schwaiger, Art. Papsttum I. 2, in: TRE 25 (1995), 647f.

¹⁷⁵ Vgl. Mt 16,19.

¹⁷⁶ Lk 22,25f.

¹⁷⁷ Joh 21,16f.

¹⁷⁸ Lk 24,48f.

¹⁷⁹ Mk 16,15.

¹⁸⁰ Joh 20,23.